

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Dissertatio Epistolaris De Sympsychiai Fidelium In
Ecclesia Apostolica Ad Act. IV. Comm. XXXII. Qva ... Joach.
Weickhmanno S. Theologiae Doctori ... Bona Verba Dicit
Joannes Daniel Kickebusch S. ...**


Weickhmann, Joachim

Gedani, MDCCXXXVI

VD18 13038478

[Dissertatio Epistolaris De Sympsychiai Fidelium In Ecclesia Apostolica Ad Act. IV. Comm. XXXII. Qva ... Joach. Weickhmanno S. Theologiae Doctori ... Bona Verba Dicit Joannes Daniel Kickebusch S. ...

urn:nbn:de:gbv:45:1-15618



VIRO
AETATE NON MAGIS
QUAM RELIGIONIS LAUDE MERI-
TORUMQUE AMPLITUDE
SUMME VENERABILI
JOACHIMO WEICKHMANNNO

S. D. P.
JOANNES DANIEL KICKEBUSCH.



Laetiorum esse Ecclesiae faciem, vbi sacrorum
antistites sancto quodam *συμφυξίας* vin-
culo copulati sunt, quam vbi contendendi
libido doctores secum committit, & res
ipsa loquitur & plurimorum seculorum ex-
perientia confirmat. Cum enim temere
altercando multum plerumque noxae ve-

A 2

ritati

ritati diuinitus patefactae omnique rei christianae inferatur, sic e contrario amica doctorum ad fidei & sanctimoniae studium conspiratio non raro gloriam DEI & sanctioris ciuitatis pomœria amplificauit. Ita tamen amicitiae litari debet, ne pax in-tempestiua veritatis dispendio redimatur. Fac enim, surgere inter fratres quietis publicae turbatorem, qui sub larua pietatis nouas in Ecclesia res molitur, numne sacri praeconis erit, dictatoriam, quam collega sibi arrogat vel in eloquia DEI censuram exculpere & amicitiae studium tepori suo praetexere? Id memini, ex praescripto diuino fortiter in acie pro veritate coelesti aduersus omnes illius hostes standum esse neque per somnolentiam committendum, vt verbi diuini syllaba vel apex corrumpatur. *II. Tim. II. 3. Tit. I. 9. II. Tim. I. 13. I. Tim. IV. 16. Apoc. III. 15. 16.*

Sunt mihi multae & graues causae, quare TIBI potissimum, VENERANDE SENEX, contemplandam offeram, quam ipsemet mihi praeformauit sinceri Theologi ideam. Floruit ordo noster per annos bene multos pace & concordia. TUAE post DEUM sollicitudini ac curae mirabilem hunc animorum consensum deberi, facile mecum omnes, qui de immortalibus meritis TUIS recte statuere norunt, fatebuntur. Nunc ubi NON NEMO, cuius nomini parco, modo coetum nostrum, cui tamen fidem suam obligauit, variarum corruptelarum arguit, modo instituta nostra, figillatim sellam confessionariam perstringit, nec vno indicio, quam iniquo animo in Lutheranam doctrinam feratur, se prodit; numne haec omnia mollibus saltem articulis tractari aut plane diffimulari & in medio relinqui possunt a verae religionis administro? Ita sane non existimabis, VIR DEI, qui in castris docentium & disputantium consenuisti. Imo vero nec ego, quamuis TE longe inferior, a me impetrare possum vt perpetuo fileam & laborantem SUMMI NUMINIS causam deseram. Etsi enim natura me pacis amantem nec vitilitigatorem finxerit, vel inuitus tamen per officii rationem ad certamina compellor. Plus certe periculi simplicioribus a seductore

ctore publico imminere credo, cui religionis & singularis sanctitatis opinio, summam, quod miror, apud multos gratiam & reuerentiam fecit, quam a professis fanaticis & hominibus vertiginis spiritu abreptis, quos, ne latius malum serperet, solum vertere iussit prouida PATRUM PATRIAE cura. Semel iterumque Virum priuatos intra parietes monui; sed nullum alium candoris mei fructum praeter *orthodoxi* nomen retuli, quo magnae ceteroquin dignationis titulo, ille pro lepida sua indole, me semper jam inde ab annis academicis tanquam scommate quodam fugillauit. Veterem tamen animum propterea non mutabo, sed quauis data occasione veritatem vrgere, & tandem aliquando vulpem ex latebris, quas amat, in lucem protrahere, ringente diabolo & fortunante sanctos conatus DEO, non intermittam. Putabunt forsan nonnulli, concordiam sic a me turbari scindique in partes Ecclesiam; hos vero minus accurate rationes subducere dixerim. Dudum hanc causam perorauerunt fortissimi in bellis Jehouae milites, WERNSDORFFIUS ὁ μακαρίης & MOSHEMIUS. Ille in peregrina de *Causis Turbarum in Ecclesia*, disputatione, quae prodiit *Wittebergae 1721*; hic vero in elaboratissimo scripto, *de Theologo non contentioso, Syntagmati ejus Dissertationum ad sanctiores disciplinas pertinentium*, inserto, *diff. 1.* Non sane qui structas veritati infidias detegunt, sed qui eandem ex infidiis inuadunt, pro rixarum autoribus sunt reputandi. Relinquamus suas externae concordiae laudes, nobis tamen interna Ecclesiae salus, que sine veritatis custodia ne concipi quidem potest, suprema lex esto. Talis erat conditio *primorum in Ecclesia Apostolica Christianorum*. Fideles erant, quos inter obtinebat *συμφυχία*. Animi illorum non modo per *charitatis exercitium*, sed & *fidei unitatem veritatisque professionem* erant conjuncti. Emphatica verba sunt, quibus haec aurea plane Christianismi aetas describitur *Act. IV. 32.* ΤΟΥ ΔΕ ΠΛΗΘΟΥΣ ΤΩΝ ΠΙΣΤΕΥΣΑΝΤΩΝ ΗΝ Η ΚΑΡΔΙΑ ΚΑΙ Η ΨΥΧΗ ΜΙΑ. Dabis hoc meo in exegesi & historiae sacrae amoris, VIR SUMME REVERENDE, vt verba haec breui commentario illustrem.

Initio quidem obseruo, reperiri quandam codicum circa commatis hujus lectionem, leuioris licet momenti discrepantiam. Affert doctissimus JO. MILLIUS in vasto suo variantium lectionum apparatu additamentum duplex: Prius duorum codicum MSS. καὶ ἔκ ἡν ἐν ἀποστολῆς Διάκρυσις ἑδεμῖα. Posterius, quod etiam habet JO. GREGORIUS in sua N. T. editione, ex Codice Bodlejano I. καὶ ἔκ ἡν χωρισμὸς ἐν ἀποστολῆς τῆς. Cum vero ORIGENES in *Matth.* p.382. teste DAN. WHITBY *Exam. Var. Lect. Jo. Millii in N. T. pag. 201. edit. Lugd. Bat. 1724.* editis congruat, scite CROJUS apud BALD. WALAEUM in *Comment. ad Libros N. T. Historicos ad h. l.* conjicit, glossemata haec veterum ad oram posita, perperam ex descriptorum incuria textui esse inserta. Par fere esto iudicium de affumento AUGUSTINI: *Erat illis in Deum anima una*, quod extat *Epistola VIII. ad Laetum*, quam ERASMUS *Paulino* potius tribuendam existimat. Aut enim Reuerendus Pater locum ex memoria adduxit; (quod saepe factum, nec semper indicium esse Patres aliter quam nos legisse, exemplis probant, JO. MILLIUS in *Prolegomenis ad N. T. maxime p. 59. exemplo Tertulliani*, & CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIUS in *dissert. de Genuinis Librorum N. T. lectionibus §. 8. Syntagm. Dissert. Theol. p. 28. seqq.*) aut explicationis gratia haec adjicere voluit, vt nempe constaret, de qua fide Lucas loqueretur, vel quodnam hujus conjunctionis esset vinculum? Vltimus sensus si retineri debeat, haud abs re monet TH. BEZA, verba ἡν εἰς θεόν potius interpretanda fuisse *in Deo*, quam *in Deum*; quamuis totam lectionem vt omnium codicum auctoritate destitutam rejiciat, *Annot. Maj. in N. T. p. 470.* Reliquas minutias, quae mentem diuini scriptoris non mutant, sed saltem a scriptura aberrant, parum aut nihil curamus, imo vix ac ne vix quidem variantium lectionum nomine dignas esse iudicamus cum JUSTO WESSELO RUMPAEO in *Commentatione Critica ad Libros N. T. p. 316.* & *Summe Reuer. JO. GOTTL. CARPZOVIO* in docta ad laudatam *Commentationem praefatione.*

B. SE-

B. SEBAST. SCHMIDIUS locum nostrum ita romano sermone expressit: *Caeterum multitudinis eorum, qui crediderant, erat cor & anima vna.* Iisdem propemodum verbis vtitur THEODORUS BEZA: *Multitudinis autem eorum qui crediderant, erat cor & anima vna.* Princeps interpret germanicus LUTHERUS textum de verbo ad verbum sic reddidit: *Der Menge aber der Glaebigen war ein Hertz vnd eine Seele.* CASP. ERNESTUS TRILLERUS, qui linguae sacrae idiotismos ad literam exprimendo, saepe parum intelligibilem reddit interpretationem, iudice GODOFREDO OLEARIO in *Observat. S. ad Matthaeum p. 140. seqq.* hoc tamen in loco a Megalandri versione ne transuersum quidem vnguem discessit. JO. HENRICUS REITZIUS vero in ἀκριβεία Lutheri minime sibi acquiescendum putavit, sed magis sibi hac sua noua versione placuit: *Der Menge aber deren die da glaubten, war ein einig Hertz vnd eine einige Seele.* Est mihi quoque ad manus *Nouum Testamentum Hebraeo-Teutonicum* opera M. CHRISTIANI MOLLERI Pastoris Eccles. Sandou. descriptum. Hoc totum quantum cum versione Lutheri conuenit. Vt igitur ex eodem dicti nostri versionem adponam opus non est. Facio saltem propterea illius mentionem, quoniam, prout ex THEOLOGICA BIBLIOTHECA Parte XXXII. p. 689. didici, illius editio in gratiam Iudaeorum desideratur. Meum exemplar jam A. 1700. Francof. ad Oderam sumptibus Michaelis Gottschalkii lucem publicam aspexit.

Magno consensu Interpretes, quos ego quidem confu-
lui, omnes fatentur, laudari hic coetus Apostolorum ministerio
collecti summam perfectissimamque vnitatem atque concordiam.
Quinam vero & quales illi fuerint, quorum animos tam
fausta copula conjunxit? quae ratio & indoles hujus conjun-
ctionis? post excussa paullo curatius singula textus nostri verba,
plenius constabit. Qui Christo tunc temporis nomen de-
derant, vocantur ΠΛΗΘΟΣ ΤΩΝ ΠΙΣΤΕΥΣΑΝΤΩΝ. Vtitur
Euangelista vocabulo collectiuo ΠΛΗΘΟΣ, quod descendit a
πλίθω

πληθω *impleo* vel *compleo* & significat, *multitudinem*, *copiam*, *numerum*. Equidem SUIDA teste πλῆθος παρὰ θρυκιδίη καὶ ἐπ' ὀλίγων λέγεται, sufficit tamen quod numerum, paruum licet quandoque insinuet. HESYCHIUS ita exponit: πλῆθος, ἀθροισμός, ὄχλος. Nec aliter JULIUS POLLUX *Onomast. L. IX. C. VIII. Segm. 142. 143.* περὶ συνωνύμων τῷ πλήθει. ὄχλος, πλῆθος, σύνοδος, σύλλογος, δῆμος, ἀθροισμα, ἀγεσμός, συναγεσμός, σύσασις. τάχα δὲ καὶ συναγωγή, καὶ συλλογή καὶ διασος καὶ χορός. ὡς εἰ λέγοι τις ἀνδρῶν ὄχλος, καὶ γυναικῶν πλῆθος, καὶ παίδων σύνοδος, καὶ ξένων σύλλογος, καὶ μετόικων δῆμος, καὶ δέλων ἀθροισμα. i. e. ex emendata versione, quae est in pulcherrima TIBERII HEMSTERHUISII editione: *Turba, multitudo, conuentus, coetus, populus, congregatio, collectio, constipatio. For-san & collectio & corrogatio, thiasus, chorus: Veluti si quis dicat, virorum turba, mulierum multitudo, puerorum coetus, hospitum conuentus, inquilinorum populus, seruorum congregatio.* Facta jam erat luculenta ad ecclesiam accessio, quod patet ex *V.4. h.c.* vbi dicitur: Ἐγενήθη ὁ ἀριθμὸς τῶν ἀνδρῶν ὡσεὶ χιλιάδες πέντε. Non de auditorum, sed vere credentium numero hoc intelligi debere, colligimus ex verbis proxime praecedentibus & scopo Lucae, qui erat, docere, hostium aduersus apostolos violentia, Evangelii cursum non fuisse retardatum. An de noua plane credentium accessione hic sermo sit, an vero ψυχαὶ περιχίλια ex *Act. II. 41.* nostris annumerentur? sub iudice lis est. Conf. MATTH. POLUS in *Synops. Crit. ad Act. IV. 4.* Quamcunque sequamur sententiam, id tamen relinquatur, ad meliora sacra recens perductos jure meritoque vocari potuisse ΠΛΗΘΟΣ τῶν πισευσαντων.

Vulgi cum major soleat esse numerus, quam illorum, qui dignitate alios antecellunt, mirum non est, plebem quandoque, ut apud Latinos *multitudinis*, ita apud Graecos τῷ πλήθους nomine venire. HERODIANUS *Hist. Lib. II. c. 8.* de Nigro, quem gens Syrorum vehementer amabat. Ἀπερ εἰδὼς, ἰν-quit, καλέσας ἴδεν πανταχοθεν στρατιώτας εἰς ῥῆγην ἡμέραν, τῷ ε-λοιπῶ

λοιπῶν πλήθους συνελθόντος κ. τ. λ. *Quae cum ita se habere intel-
ligeret, iussis undique adesse dicta die militibus, reliqua etiam
confluente multitudine &c.* Oratione deinceps Nigri interjecta,
collatam ipsi Imperatoriam dignitatem his verbis commemorat:
Τοιαύτῃ ἴνα ἐπιόντος αὐτοῦ, εὐθέως τὸ στρατιωτικὸν πᾶν καὶ τὸ συνειλεγμέ-
νον πλήθος αὐτοκράτορα τε ἀνείπε, καὶ σεβαστὸν προσηγόρευσε. *Ta-
lia loquentem continuo exercitus omnis, caeterumque vulgus Im-
peratorem atque Augustum consalutant.* AELIANUS *Var. Hist.*
L. XII. c. 58. de Dioxippo: Διώξιππος ολυμπιονίκης ἀθλητῆς ὁ ἀθη-
ναῖος, εἰσήλαυνεν εἰς τὰς ἀθήνας κατὰ τὸν νόμον τῶν ἀθλητῶν.
συνέρρει τοίνυν τὰ πλήθη. *Dioxippus pugil Olympionices Atheni-
ensis, more pugilum Athenas introibat eques, vulgus igitur con-
fluebat.* FL. JOSEPHUS, ubi Judaeorum in sacris diligentiam
laudat, expresse τὸ πλήθος τοῖς ἱερέουσιν opponit: τίς ἀν' εἴ-
αρχῆς γένοιτο τάσης ὀσιωτέρα; τίς δὲ θεῷ τιμὴ μᾶλλον ἀρμοξέσσα;
παντὸς μὲν τῶν πλήθους καλεσκευασμένον πρὸς τὴν εὐσέβειαν, ἐξαιρέτων
δὲ τὴν ἐπιμέλειαν τῶν ἱερέων πεπιστευμένων, ὥσπερ δὲ τελετῆς τινος
τῆς ὅλης πολιτείας ὀικονομημένης; *Quodnam igitur, inquit, impe-
rii genus hoc sanctius esse queat? aut qui Deo cultus convenienti-
or exhiberi? ubi non multitudo tantum uniuersa ad pietatem stu-
diosissime informetur, sed etiam & insignis quaedam a sacerdoti-
bus in rerum administratione diligentia exigatur & solennem sa-
cri alicujus festi religionem tota reipublicae ratio imitetur?* L. II.
contra Apion. T. II. OO. p. 485. edit. HAUERKAMPPI. Manife-
stum igitur est ex applicatione hujus notionis ad nostrum lo-
cum, concordiam non inter Apostolos tantum, praecipuos Chri-
stianorum doctores, sed inter omnes promiscue, quotquot ad
recens conuerforum cohortem spectabant, viguisse.

Nec tamen ad vnum omnes, qui multitudinem faciunt,
necessario per τὸ πλῆθος significantur. Omnes quidem
sunt multi, sed multi non semper sunt omnes. Epitheta πολὺ
πλήθος & πᾶν τὸ πλήθος declarant, πλήθος nude positum tan-
tum non semper particularitatis indicium esse. De discipulis

B

ad

ad mandatum Christi rete in mare projicientibus dicitur: *ἐκ
 ἑπὶ αὐτὸ ἐλκῦσαι ἴχθυσαν ἀπὸ τῆς πλῆθους τῶν ἰχθύων.* Non ampli-
 us illud trahere valuerunt prae multitudine piscium, *Joh. XXI. 6.*
 Quis vero sibi persuaderet, nullos post hanc capturam relictos
 fuisse in lacu Tiberiadis pisces? *Act. V. 16.* legimus: *Συνήχθητο
 δὲ καὶ τὸ πλῆθος τῶν πέριξ πόλεως εἰς Ἱερουσαλήμ, φέροντες ἀθενεῖς
 καὶ ὀχλαμένους ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων.* *Conueniebat etiam mul-
 titudo sitarum circum urbium in Hierosolymam, adferentes infir-
 mos & turbatos a spiritibus immundis.* Multi vero procul du-
 bio domi se tenuerunt, parum Apostolos eorundemque prodigia
 curantes. Alia nostrae multitudinis ratio est. Quae mox se-
 quuntur convincere nos possunt, omnes, nemine credentium ex-
 cepto, communi amoris & concordiae foedere copulatos fuisse.
 Consequens hujus vnanimittatis erat insignis liberalitas, qua
 omnia quae possidebant in commune conferebant, nec quen-
 quam ab illorum usu secludebant. Jam vero ne vnus quidem
 hanc liberalitatem in se desiderari patiebatur: *ἐδὲ εἰς τι τῶν
 ὑπαρχόντων αὐτῶ ἐλεγεν ἰδίον εἶναι, ἀλλ' ἦν αὐτοῖς ἅπαντα κοινά.*
*Neque ullus quicquam facultatum, quae ipsi, dicebat proprium
 esse, sed erant ipsis omnia communia.* Ergo ne vnum quidem
 illorum, qui Christo nomen dederant, a communi concordiae
 vinculo excludere fas est.

Nondum nomen Christianorum auditum erat, vtpote
 quod Antiochiae demum anno Christi XLIII. siue Claudii Im-
 peratoris III. secundum JACOBUM USSERIUM in *Annal. V.*
 & N. Testamenti ad A. C. XLIII. & JO. FR. BUDDEUM in
*dissert. de Origine, dignitate & usu nominis Christiani §. 3. Mi-
 scellan. Sacr. P. I. p. 282.* aliosque, Apostolorum discipulis fuit
 impositum, *Act. XI. 26.* Multis igitur, qui Christum sequeban-
 tur, tunc temporis nominibus, & inter alia etiam perhonorifi-
 fico ΤΩΝ ΠΙΣΤΕΥΣΑΝΤΩΝ nomine appellabantur. Jam
Act. II. 44. hoc nomen de Christianis vsurpatum occurrit: *Πάν-
 τες δὲ οἱ πιστεύοντες ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτὸ, καὶ εἶχον ἅπαντα κοινά,* nec
 non

non *Act. V. 14.* imo etiam post Christiani nominis ortum legitur *Act. XVII. 34. XXI. 20. XXII. 19.* & in epistolis apostolicis passim. Varias verbum *πιστεύειν* habet significationes, videndas apud *MATTH. FLACIUM Clav. P. I. in verbo: credere.* Frequenter significat, *nosse, assentiri, persuasum habere;* nec raro hoc verbum aequè ac latinum *credere, rem quampiam fidei alicujus committere notat.* Sic *Rom. III. 2. de Judaeis: Ἐπίστευσαν τὰ λόγια τῶ Θεῷ.* Illis credita sunt eloquia Dei. Accipit hoc sensu verba Pauli in *II. ad Timoth. I. 12. Ὅσα ἢ πεπίστευκα,* multaque eam in rem erudita affert *LAMB. BOS Observat. Miscellan. cap. X. p. 53.* Inter omnes significationes caput effert & huc maxime pertinet illa, quae idem quod *religionem christianam amplecti & fidem salvificam habere* insinuat. Adjectae in hoc casu plerumque reperiuntur particulae: *εἰς, πρὸς, ἐν* vel *ἐπὶ,* ut *πιστεύειν εἰς χριστὸν, ἐπὶ τὸν κύριον, πρὸς τὸν Θεόν, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ.* Subintelligi debere vnam ex his formulis in nostro, quem explicamus, loco existimamus, quoniam is demum vere credens & fidelis vocari potest, qui ita fidem christianam amplectitur, ut in Christo, tanquam fidei & salutis suae basi ac fundamento firmissimo suaviter acquiescat. Ita *Marc. XV. 32.* post vocem *πιστεύσωμεν* *Codex Cantabrigiensis* apud *GREGORIUM & MILLIUM* inserit *ἐν αὐτῷ & Bodlej. I. εἰς αὐτόν.* Paulus de Christianis ad Christum: *κύριε, αὐτοὶ ἐπίστανται ὅτι ἐγὼ ἤμην φυλακίζων καὶ δέρον κατὰ τὰς συναγωγὰς τότε πιστεῦτοντας ἐπὶ σε,* *Act. XXII. 19.* Hebraismum haec redolere *JO. VORSTIUS P. II. Philol. S. c. XXXVI. p. 202. THEOD. HACKSPANIUS in Notis P. III. p. 188. & JO. OLEARIUS de Stylo N. T. p. 88. 89. edit. Coburg. 1721. 8.* sibi persuadent; sed doctissimus *JO. CONR. SCHWARTZ in notis ibidem* ex Aristotele potissimum, fiduciae significatum verbo *πιστεύειν* vindicat, & totam phrasin graecae linguae indoli non repugnare, ostendit. Apud Ecclesiasticos quoque scriptores Christiani plus vice simplici τῶν πιστῶν & πιστευόντων ornantur elogio. Conf. *JO. CASP. SUICERUS Thesaur. Eccles. T. II. col. 742. edit. nouiss.* Sigillatim vero certus Christianorum ordo a clericis & catechumenis distinctus,

ctus, hoc nomine insignitur, quo de praeter alios lege JOSEPHI BINGHAMI *Origines S. Antiquit. Eccles. L. I. C. III. §. 2. Vol. I. p. 32. L. XIII. C. I. §. 3. Vol. V. p. 6. L. XV. C. I. §. I. Vol. VI. p. 230.*

Fides qua creditur cum tribus potissimum absoluitur partibus siue gradibus, notitia, assensu, fiducia, tenendum est, omnes has tres fidei partes in primitiuis Christianis fuisse reper-
tas, ipsisque nomen ΤΩΝ ΠΙΣΤΕΥΣΑΝΤΩΝ indidisse. Lau-
dantur Fideles vt libenter sermonem Apostolorum excipientes,
constanterque doctrinae semel per notitiam conceptae & per
assensum comprobatae, adhaerentes, *Act. II. 41. 42.* Neruus
hujus doctrinae erat gratia per solum Christi meritum fide ap-
prehensum recuperanda. Apostoli, & qui proxime ad illorum
tempora accedebant Patres Apostolici, hanc sedulo inculcabant.
CLEMENS ROMANUS *ad Corinthios ep. I. XXXII.* postquam
fidem Patrum collaudauerat, ita concludit: πάντες ἐν ἐδοξάθη-
σαν καὶ ἐμεγαλύνθησαν, ἔδ' δι' αὐτῶν, ἢ τῶν ἔργων αὐτῶν, ἢ τῆς δικαιο-
πραγίας ἧς κατεργάσαντο, ἀλλὰ διὰ τοῦ θελήματος αὐτοῦ. καὶ ἡμεῖς
οὖν διὰ θελήματος αὐτοῦ ἐν χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες, ἔδ' δι' ἐαυτῶν δικαιο-
μεθα, ἔδ' ἐκ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔρ-
γων ὧν κατεργασάμεθα ἐν ὀσιότητι καρδίας. ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, δι'
ἧς πάντας τὰς ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ θεὸς ἐδικαίωσεν. ὧ ἔσω δόξα
εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰῶνων. Ἀμήν. *Si ergo omnes gloriam & ampli-
tudinem consecuti sunt, non per se ipsos, aut opera sua, aut justas
actiones quas fecerunt; sed per voluntatem ejus. Et nos igitur
ex voluntate illius in Christo Jesu vocati, non per nos ipsos justifi-
camur neque per sapientiam nostram, aut intelligentiam, aut pie-
tatem, aut opera quae in cordis sanctitate operati sumus; Sed per
fidem, per quam omnipotens Deus, omnes ab initio justificauit.
Cui sit gloria in secula seculorum. Amen. Vid. JO. B. COTE-
LERII editio Patrum Apostolicorum, quae prodiit Antuerpiae
1698. volum. I. p. 164.* Nec est quod de complemento fidei sa-
lutiferae recens conuerforum, apprehensione nimirum meriti
Chri-

Christi fiducialiter appropriatiua dubitemus. Fructus enim justificantis fidei erant praesto & praerogatiuae justificatorum, qui sunt in statu gratiae. Officiis mutuo sibi respondebant & hilari mente opes suas inter fratres diuidebant, preces ὁμοθυμαδὸν ad Deum fundebant, Act. IV. 24. Spiritu sancto replebantur & abundabant gratia, v. 31. 33.

Aliam adhuc nominis Fidelium rationem, nempe a fide, vt ita loquar, passiuam addit CHRYSOSTOMUS in *Epist. ad Coloss. cap. I. homilia I. Comment. in N. T. tom. VI. edit. Paris. 1633.* Τίς, inquit ἅγιόν' σε ἐποίησε; τίς πίσον; τίς υἱόν' τῷ Θεῷ; ὁ ποιήσας σε ἀξίόπισον, αὐτὸς καὶ τῷ πισευθῆναι, σε ἀπαντὰ αἰῶνος. ΠΙΣΤΟΙ ΓΑΡ ΟΥ ΔΙΑ ΤΟ ΠΙΣΤΕΥΕΙΝ ΚΑΛΟΤΜΕΘΑ ΜΟΝΟΝ, ΑΛΛΑ ΚΑΙ ΔΙΑ ΠΙΣΤΕΥΘΗΝΑΙ ΠΑΡΑ ΤΟΥ ΘΕΟΥ ΜΥΣΤΗΡΙΑ ἅπερ ἔδὲ ἀγγελοὶ πρὸ ἡμῶν ἤδεσαν. *Quis te sanctum fecit? Quis fidelem? Quis filium Dei? Qui te fecit fide dignum is quoque fuit causa, vt tibi omnia crederentur. Fideles enim vocamur, non solum propterea quod credamus, sed etiam propterea, quod a Deo credita sint mysteria, quae ne Angeli quidem ante nos nouerunt.* Fidelium nomen hic non ad certum Christianorum ordinem, a clericis & catechumenis diuersum, restringitur; sed πίσος, ἅγιος & υἱὸς τῷ Θεῷ, nomina omnibus in Christum credentibus competentia, hic tanquam ἰσοδυναμῶντα pari passu ambulant. Commentatur CHRYSOSTOMUS in verba Pauli *Coloss. I. 2.* τοῖς ἐν κολοσσαῖς ἀγίοις καὶ πιστοῖς ἀδελφοῖς ἐν χειρῶν, & statim infit: πόθεν ἅγιος γέγονας, εἶπέ μοι; πόθεν πίσος καλή; Eodem igitur sensu vocabulo πιστῶν vtitur, quo vsus eodem est Paulus. Pauli vero tempore de πιστοῖς in oppositione ad κατηχουμένους altum erat silentium. Omnibus hisce πιστοῖς credita dicit esse μυστήρια. Fateor hac voce nonnunquam, maxime tunc temporis vbi disciplina arcani vigeat, sacram coenam indicari. Ipsi CHRYSOSTOMO hic sensus vocis μυστήρια est vsu tritus. Conf. ISAACUS CASAUBONUS *Exercit. XVI. Anti-Baroniana p. 477. edit. Geneu. 1655. 4.* Hic vero amplio-

rem significatum ex mente S. Patris huic voci tribuendum esse, nec reliqua dogmata quae humanae rationis captum transcendunt, excludenda, vel ex addita mysteriorum descriptione colligi posse existimo: ἄπερ ἔδὲ ἄγγελοι πρὸ ἡμῶν ἤδεσαν. In mente igitur habebat talia mysteria, qualia sunt sublimiora fidei christianae capita, εἰς ἃ ἐπιθυμῶσιν ἄγγελοι παρακύψαι, 1. Pet. I. 12. Fallor? aut ex hoc testimonio simul, quaenam fuerit vera *μυστηριοκρυψίας* in veteri Ecclesia ratio, intelligi potest. Sane in *τρόπῳ παιδείας* & occultatione mysteriorum, sublimium quidem, sed creditu tamen necessariorum, haec minime consistebat. Conf. quae de hac materia aduersus celeberrimum CHR. MATTH. PFAFFIUM erudite disputata sunt a THEODORO CRUEGERO *Analektorum quae Societas caritatis & scientiarum euulgavit*, Tomo II. p. 569. Sufficere nobis potest, ad omnes omnino Fideles, notionem hanc a fide passiuā desumptam, ex intentione CHRYSOSTOMI pertinere.

Ceterum fideles Christi serui ob fidem rebus diuinis adhibitam variis modis exagitabantur ab infidelibus. Audiebant *nimis creduli*, ἀλόγως πιστεύοντες, *stulti*, *vani*, *inepti*. Iulianus Apostata semper τὸ ΠΙΣΤΕΥΣΘΕΝ Christianis objiciebat. Conf. CHRISTIANI KORTHOLTI *Paganus Obtrectator Lib. I. cap. X & XI*. DESIDERII HERALDI *Animaduersiones ad Arnobium p. 137*. Nec mitius habiti sunt boni Christiani a Judaeis, qui vel hoc quoque nomine illorum sacra ridebant, quod credulae saltem & rudi plebeculae, non vero sapientioribus & principem in republica locum tenentibus, essent ad palatum. Μήτις ἐκ τῶν δεχόντων ἐπίστευσεν εἰς αὐτὸν, ἢ ἐκ τῶν Φαρισαίων; ἀλλ' ὁ ὄχλος ἕτος ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, ἐπικατάρτοι εἰσι. Num quis ex primoribus credidit in eum (JESUM) aut ex Pharisaeis? sed turba haec, quae non nouit legem, execrabilis est. Ita animum suum autoritatis praeiudicio fascinatū prodebant, qui ad rauium vsque a praeiudiciis & credulitate abstinendum esse clamabant, *Job. VII. 48. 49*. FL. JOSEPHUS quoque in decantato suo de CHRISTO Liberatore testimonio, *Lib. XVIII.*
Anti-

Antiqu. Jud. c. 3. OO. T.I. p. 876. credulitatis nimiae Christianos postulasse creditur a PETRO LAMBECIO *Tom. VIII. Bibl. Vindobon. p. 22.* Vocat JOSEPHUS Christum Διδάσκαλον ἀνθρώπων τῶν ῥέονῃ τ' ἀληθῆ δεχομένων. *Magistrum hominum qui verum cum voluptate accipiunt.* Hoc ita interpretatur LAMBECIUS apud ITTIGIUM *Hist. Eccl. Sec. I. Cap. VII. Sect. I. p. 365.* ac si Christus hic magister piscatorum, muliercularum aliorumque rudium hominum, quaevis dogmata simplici credulitate suscipientium, nuncuparetur. Verum enim vero, longe aliam Josepho mentem fuisse penes me non est dubium. Primores Judaeorum tempore Christi viuentes commode ad duo genera reuocari poterant. Quidam temporalia tantum commoda spectabant, & rempublicam sanctam tectam cupiebant, de religione parum solliciti. Aliis Mosaica instituta curae cordique erant, Messiam expectabant, de dictis & factis Christi praeclare sentiebant, multa in Pharisaeis desiderabant, nec tamen propterea, Jesum Nazaraenum pro Messia habebant, aut superstitioni Judaicae plane nuncium mittebant, & hujus farinae erant Nicodemus, Gamaliel & noster JOSEPHUS. Necem Jacobo fratri Domini illatam JOSEPHUS haud obscure improbat *Antiqu. Jud. Lib. XX. Cap. IX. T. I. OO. p. 976.* Pharisaeorum artes & fucatam pietatem his coloribus depingit: Ἦν μόνον ἡ Ἰουδαϊκῶν ἀνθρώπων ἐπ' ἀκριβώσει μέγα φρονῆν τῷ πατρὶος νόμου, τὸ θεῖον προσποιουμένων ὑπὸ κηλοῦ ἢ γυναικωῦντις. Φαρισαῖοι καλῶνται, βασιλεῦσι δυνάμενοι. μάλιστα ἀντιπράσσειν, προμηθεῖς, καὶ τῷ πρῶτον εἰς τὸ πολεμεῖν τε καὶ βλάπτειν ἐπηρμένους. *Erat Judaeorum quaedam secta, qui legis accuratam cognitionem profitebantur, & de ea ferociebant, quibus, se Deo charosesse simulantibus, addictae erant feminae. Si Pharisei vocantur, homines, qui maxime Regibus ausi sunt resistere, cauti, & ad aperte bellandum laedendumque prompti.* *Antiqu. Lib. XVII. C. II. T. I. OO. p. 830.* Sciebat porro Christum hypocrisim Pharisaeorum candide detexisse, legem a corruptelis eorum vindicasse & sine προσωποληψίᾳ veritatem proposuisse. Sciebat aegre Phariseos hunc



hunc ejus candorem tulisse, eidemque obtemperare noluisse. Non poterat igitur non Christum vocare διδάσκαλον ἀνθρώπων τῶν ἠδονῆ τάληθῆ δεχομένων. Amplius sane quid dixit Nicodemus de Christo, licet professione Judaeus: οἶδαμεν, inquit, ὅτι ἀπὸ θεῶ ἐλήλυθας διδάσκαλος, εἰδείς γὰρ τὰ ὅσα τὰ σημεῖα δύναται ποιεῖν ἃ σὺ ποιεῖς, εἰ μὴ ἢ ὁ θεὸς μετ' αὐτῶ, *Joh. III. 2.* His rationibus motus, malo JOSEPHO inter testes veritatis, quam inter empaectas, Christianorum simplicitatem credendique facilitatem ridentes, locum assignare.

Eadem fabula cum saepe, mutatis tantum personis ludatur, operae pretium erit, quanto fieri potest verborum compendio, primos Christianos de credulitatis vitio absolvere. Credulus is dicitur, qui assensum praebet propositioni motus auctoritate testis minus idonei. Res quae tunc temporis proponebantur & quibus veritas Christianae religionis potissimum innitebatur, erant res gestae, resurrectio, ascensio, miracula Christi, quae non tam demonstrari, quam testimonio confirmari debebant. Testes, quorum testimonio fides habebatur, erant Apostoli. Is demum testis idoneus & fide dignus est, de quo certus esse possum, quod veritatem rei, quam narrat, cognoverit, & quod vera dicere velit. Qui rebus gestis interfuit, omnibus circumstantiis probe attendit, tenaci easdem memoria custodiendi & cum aliis a se visa communicandi dexteritate pollet, is veritatem cognoscit & edifferere valet. Qui nec veram nec apparentem ex mendacio sibi utilitatem polliceri potest, is prudens non mendacia, sed vera dicere praesumitur. Conf. C. WOLFII *Philos. Ration. §. 613. seqq.* Talem vero fuisse Apostolorum conditionem sacrae nos paginae docent. Vide haec omnia fusius probantem HUMPHREDUM DITTON *de Veritate Relig. Christianae ex Resurrectione Jesu Christi demonstrata & ex anglico in germanicum idioma translata per Gabr. Wilh. Goettenium P. III. c. IV. p. 359. seqq.* Nulla igitur credulitatis suspicio cadere potest in homines tot incorruptis testibus de veritate credendorum conuictos. Cordate JUSTI-

NUS

NUS MARTYR, qui ante suum ad Christianam philosophiam, vt veram religionem vocat, accessum, omnes Philosophorum scholas perreptauerat, ad Tryphonem Judaeum: Ὁυ κενῶις ἐπιτεύσαμεν μύθοις, ἔδὲ ἀναποδείκτοις λόγοις, ἀλλὰ μεσοῖς πνεύματος θεῖοις ἢ δυνάμει βεβύχοι ἢ τεθηλόσι χάριτι. *Non vanis fidem habuimus fabulis, neque demonstrationis expertibus assertionibus sed spiritu diuino plenis, virtuteque scatentibus, & gratia florentibus: Dialog. cum Tryphone p. 154. edit STYANI THIRLBII, Londini 1722.* Doctrinis Apostolorum maximam conciliabat ἀξιοπιστίαν, quod a Doctoribus proficiscerentur, ἐν ἀποδείξει πνεύματος ἢ δυνάμει loquentibus, h. e. vt THEOPHYLACTUS παραφράζει, qui habebant demonstrationem ipsum Spiritum S. & miraculis verbum confirmabant. Refractarii sane & contumaces verbi diuini contemptores fuissent, si verbo radiis diuinitatis infitis relucenti & miraculis praeterea stipato, fidem denegassent. Mystera, fateor, per verbum praedicatum reuelabantur captum finitum superantia. Μωρία haec erant hominibus profanis & τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς pronuntiatis diuinis opponentibus; diuinitus vero vocatis & coelesti lumine collustratis θεῶν δύνάμεις ἢ θεῶν σοφία. *I. Cor. I. 24.*

Scilicet lumen rationis lumini reuelationis non contrariatur, vtrumque enim a Deo, qui secum ipso pugnare nequit, est accensum. Hinc recte mystera *supra*, non *contra rationem* esse dicuntur. Quoniam vero ratio post lapsum est corrupta, adeoque nexum, qui datur inter natura notam & diuinitus patefactam veritatem, perspicere nequit, quem tamen Deus optime intelligit, hinc suo se modulo ac pede metiri, nec extra proprios terminos egressa sibi iudicium sumere debet de rebus quas plane ignorat, multo minus ex armamentario suo tela depromere aduersus doctrinam Christi. Paulus imperio Christi rationem subjici postulat, *II. Cor. X. 5.* tantum abest vt dictaturam rationi in rebus fidei concedat. Digna est, quae legatur, ad hunc locum *disputatio* sub celeb. CHR. FR. BOERNERI praesidio habita: *de Impedimentis Doctrinae Euangelicae*
C
ab

ab hominum ΛΟΓΙΣΜΟΙΣ ΤΨΩΜΑΤΙ ΚΑΙ ΝΟΗΜΑΤΙ *objectis*,
 ab Apostolis virtute diuina superatis, Lipsiae 1722. Nescio igitur,
 quo tandem numero & loco debeam habere Virum, qui
 suos de rebus sacris sermones ad rigorosissimum rationis tribu-
 nal trahi posse, publice conceptis verbis professus est. Formula
 haec plane a forma sanorum verborum abhorret. Aut enim
 res sacras rationis iudicio submittere, aut omnia mysteria &
 Christum cum suo merito prorsus tacere & intra solius Theo-
 logiae Naturalis doctrinas subsistere cogitur, qui tale quid, sine
 omni adhibito temperamento, pronunciare audet. Quantum
 labis autem intempestiuum huiusmodi Theologiae Naturalis
 studium sacris Christianorum salutique humanae afferat, prae-
 clare docet Magnus noster VERPOORTENNIUS, in disputa-
 tione de Regundis Theologiae Naturalis Finibus, *Thesi IX. Obs.*
 2. 3. 4. Habebant sane primitiui Christiani omni rationis dicta-
 mine βεβαιότερον λόγον προσφηϊκόν. Ad hujus, non illius normam
 credenda exigebant. Stulti propterea, fungi & stipites videban-
 tur gentilibus; sed immerito. Numne stultum est Deo reuelan-
 ti, qui Veritas ipsa est falli & fallere nescia, fidem habere? Va-
 let hic illud Pauli: τὸ μωρὸν τῶ θεῷ σοφώτερον τῶν ἀνθρώπων ἐστίν.
 I. Cor. I. 25.

Satis pro instituti ratione de Fidelibus dixi, superest vt
 breuiter de Συμφυχία illorum exponam. Repeto verba textus:
 τῶ δὲ πλήθους τῶν πισευσάντων ἦν ἡ ΚΑΡΔΙΑ ΚΑΙ ἡ ΨΥΧΗ ΜΙΑ.
 Prouerbialem hanc esse locutionem innumera fere Autorum
 loca testantur. Conuectarunt ea diligenter JO. PRICAEUS
 ad h. l. Tom. VII. Criticorum Sacrorum p. 116. SUICERUS The-
 sauri Eccl. T. I. p. 1039. & T. II. p. 1578. ELMENHORSTIUS
 & GRONOUIUS ad Minucii Felicis Octauium p. 6. & 7. edit.
 Lugd. Bat. 1709. CORNELIUS ADAMI in Exercitat. Exeget.
 p. 235. JAC. ELSNERUS Obs. S. in N. Foed. T. I. p. 382. Ex
 Falcut Rubeni similes Iudaeorum locutiones in medium pro-
 tulit CHRISTIAN. SCHOETTGENIUS Hor. Hebr. & Tal-
 mud. in N. T. p. 421. Liceat mihi horum gazis addere terunci-
 um:

um: *Aristoteles* ἐρωτηθεὶς. τί ἐστὶ φίλος; ἔφη, ΜΙΑ ΨΥΧΗ δύο σώμασιν ἐνοικῶσα. *Vna anima in duobus corporibus habitans*, teste *DIOG. LAERTIO Lib. V. Segm. 20. p. 279. edit. Amstelæd. 1692.*
 4. Spectant huc phrasēs, vbi amici pars imo dimidium animæ dicuntur: *CALLIMACHUS Epigramm. XLIII. p. 214. edit. Vltraject. 1697.*

Ἡμισὺ μὲν ψυχῆς ἔτι τὸ πνεῦν, ἡμισυ δ' ἐκ' οἴδ'
 Ἐστ' ἔρος, ἐστ' Αἰδῆς ἠρπασε πλὴν ἀφανές.

*Dimidium quidem animæ adhuc spirat: dimidium vero nescio
 An amor an Orcus rapuit: Sed certe euanuit.*

Nimirum vox ψυχὴ ad exprimendos interiores animi motus, desiderium, amorem, spem, tristitiam, est valde vsitata. Dicta Scripturæ in quibus hic vocis hujus sensus est frequens, habet *MART. CASP. WOLFBURGIUS Obs. Sacr. in N. T. p. 598.* Patrum vero loca plena manu admetitur *SUICERUS Thesaur. Eccl. T. II. p. 1578.* Quæ quis sincere & prompte facit, dicuntur ἐκ ψυχῆς proficisci. *THEOCRITUS ΕΙΔΥΛΛ. η. p. 128. edit. Oxon. 1699.*

Βόσκοιτ' ἐκ ψυχᾶς τὰς ἀμνίδας.
Pascite has ex animo agnas.

Vbi *SCHOLIASTES*: ἤγαν, ἐξ ὅλης τῆς προθυμίας τὰς ἀμνίδας. ἐκ ψυχῆς ποιεῖ τις τόδε, ἤγαν, ἐκὼν καὶ ἀφ' ἐαυτοῦ κινέμενος. ἢ ἐκ ψυχῆς δὲ ποιεῖ, ἤγαν, ἀκὼν καὶ σὺν βίᾳ τινὶ, καὶ ἔχ' ἀφ' ἐαυτοῦ κινέμενος. Idem de voce ΚΑΡΔΙΑ est statuendum. Denotat animam cum suis facultatibus, consiliis, agitationibus. Hinc *DEUS* dicitur καρδιογνώστης & scrutator renum & cordium, *Apoc. II. 23.* Notum quoque est *Sospitatoris* nostri monitum: *Diliges Dominum Deum tuum ἐν ὅλη τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλη τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλη τῇ διανοίᾳ σου, Matth. XXII. 37.* quod ita interpretatur

tatur OSIANDER apud CASP. BERTRAMUM in *Matthaeo Enucleato ad h. l. Diliges Dominum Deum tuum ita, ut omnes vires tuas in dilectione Dei expedias, omnesque nervos intendas, ut tota anima, totum cor, tota mens sit in amore Dei sincero occupata, ut nihil cogites, nihil desideres, nihil probes, quod Deus nolit, nihil quantumvis graue & molestum recuses, quod Deus velit. Verbo: totos nos Deo ejusque dilectioni mancipemus.* Cor alias vitae principium, & πάντων τῶν αἰσθητήριων κοινὸν αἰσθητήριον habetur apud ARISTOTELEM libro de *Juventute & Senectute, Vita & Mor- te* Cap. III. OO. T. II. p. 132. edit. Paris. 1655. fol. In proptulo igitur est fons & origo proverbi. Datur inter amicos affectuum, voluntatis & intellectus harmonia, & ubi haec regnat, plura licet sint in pluribus corda, plures animae; tamen idem velle & idem nolle amicorum facit, ut vno spiritu multorum corpora regi, & vnum cor in diuersis corporibus palpitare nobis persuadeamus. Tam belle etiam nouelli Christiani secum conspirabant. Etsi numerus illorum jam ad aliquam magnitudinem excreuerat, tamen per concordiam in vnum veluti corpus erant compacti.

Jam supra mirabilis hic animorum consensus fuit laudatus. Ita de Apostolis *Act. II. 1.* relatum legimus: ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό. De omnibus vero Fidelibus dicitur *v. 44.* πάντες δὲ οἱ πιστεύοντες ἦσαν ἐπὶ τὸ αὐτό, καὶ εἶχον ἅπαντα κοινά. Paucis denique de liberalitate Fidelium interjectis, *v. 46.* concors illorum assiduitas in obseruando publico Dei cultu celebratur: καθ' ἡμέραν τε προσκαρτεροῦντες ὁμοθυμαδὸν ἐν τῷ ἱερῷ. Fatemur, vocem ὁμοθυμαδὸν interdum usurpari pro ἅμα simul. Ita *1. Paralip. X. 6.* τῶν ὁ ἐξemplar Aldinum legit: καὶ ὅλος ὁ οἶκος αὐτοῦ (Σαὺλ) ὁμοθυμαδὸν ἀπέθανε. Et tota domus, siue integra familia Saulis simul mortua est. In nostris tamen, quae modo citauimus locis, animorum consensus per hanc voculam indicati existimamus. Nam *primum Act. II. 1.* verba: ἦσαν ἅπαντες ἐπὶ τὸ αὐτό jam praesentiam omnium simul in eodem loco exprimunt, quod etiam de *Commate 46.* etiam si vocula ὁμοθυμαδὸν ibi non exta-

exta-

extaret, verum esse opinor: *Deinde*, nulla apparet ratio, quare aduerbium ὁμοθυμαδὸν hic potius vnam, quam alteram significationem sustinere debeat. Vtraque significatio textui, vtraque orationis cohaerentiae conuenit, certe nulla gignit sensum analogiae fidei aduersum: *postremo*, nostra, quam voci ὁμοθυμαδὸν imponimus, significatio est famosior, congruit cum ejus origine & notione formali. Descendit ab ὁμόθυμος vnanimis, quod ex ὁμός similis & θυμός animus componitur. Aut igitur notio formalis alteri accessoriae & materiali tantum, praefenda est, aut, quoniam Spiritus S. nihil adjecit, quo ampla significatio hujus vocis restringitur, vtraque prudenter conjungenda est, adeoque dicendum, Apostolos & Fideles simul & concorditer fuisse congregatos. Probamus accuratam & elegantem versionem B. LUTHERI: *Und als der Tag der Pfingsten erfuellet war, waren sie alle einmuethig bey einander, & v. 46. Sie waren taeglich vnd stets bey einander einmuethig im Tempel.* Ceterum ex phrasi ἐπὶ τὸ αὐτὸ concordiae notionem exsculpi posse, negamus. Quamuis enim quidam hic de fine & scopo, qui omnibus vnus & idem fuit, cogitent, nolumus tamen verbis alium significatum tribuere, quam quidem perpetuus Autorum vsus permittit. Subscribimus GEORG. RAPHELIO in *Annotat. ad N. T. ex Polybio & Arriano collectis* p. 299. & JO. CHRISTOPH. WOLFIO in *Curis Philol. ad Act. II. 1.* qui de eodem loco, in quo congregati fuerunt Apostoli & Fideles, hanc phrasin interpretantur. τὸ ὁμοθυμαδὸν ad concordiam animorum exprimendam sufficit, & v. 44. verba: καὶ εἶχον ἀπαντα κοινά, non minus pro concordia Fidelium militant; vbi enim fructus concordiae praesto erant, ibi concordiam quoque ipsam adfuisse colligimus.

Vidimus, locutionem prouerbialem in se spectatam animorum consensum, sine vnionem, vt vocant, moralem inuoluere; longe sublimiorem vero vnitatem in applicatione hujus prouerbi ad coetum credentium innui, ex singulari, quae in vocabulo ΜΙΑ latet, emphasi euincam. Etsi enim cum



HAMMONDO sine haesitatione asserere non audeam, ad omnes quoque fideles pertinere, quae v. 31. de effusione Spiritus Sancti super Apostolos, donorumque iisdem concessorum augmento commemorantur; acceperant tamen omnes, cum sacro fonte abluerentur, Spiritum Sanctum, ut Petrus iisdem promiserat Act. II. 38. Facile ergo inducor, ut credam, intelligi hoc loco *unitatem mysticam*, qua omnes fideles per Spiritum Diuinum, cuius *χαισματων* participes facti erant, sub vno capite Christo Jesu tanquam membra spiritualia continebantur, & omnes conjunctim corpus Christi mysticum constituebant. De hac vnione loquitur Paulus 1. Cor. XII. 12. 13. *καθάπερ τὸ σῶμα ἐν ἑσσι, καὶ μέλη ἔχει πολλὰ, πάντα δὲ τὰ μέλη τῆς σαώματος τῆς ἐνὸς πόλλα ὄντα, ἐν ἑσσι σώμα. ἕλω καὶ ὁ χριστός. καὶ γὰρ ἐν ἐνὶ πνεύματι ἡμεῖς πάντες εἰς ἐν σῶμα ἐβαπτίσθημεν. εἴτε Ἰουδαῖοι, εἴτε Ἕλληνες, εἴτε ὄφιοι, εἴτε ἐλεύθεροι. καὶ πάντες εἰς ἐν πνεῦμα ἐποτίσθημεν.* Sicut corpus unum est, & membra habet multa, omnia vero membra corporis vnus, multa quum sint, unum sunt corpus: ita & Christus. Etenim per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptizati sumus: siue Iudaei, siue Graeci, siue serui, siue liberi: & omnes vna potione potati sumus in unum Spiritum. Et haec beata *σύμφυσις καὶ ἐμφύτευσις* cuius beneficio Domino agglutinati sumus, fidelibus quoque tribuitur, quando *ΜΙΑ ΨΥΧΗ ΚΑΙ ΜΙΑ ΚΑΡΔΙΑ* vocantur. Non capiunt hanc phraseos hujus sublimiorem potestatem *οἱ ἔξω*. Sunt profecto scriptoribus diuino Spiritu actis suae *ῥησεις ἰδίαι*, quibus eas non licet supponere ideas, quas profanorum autorum vsus suppeditat. Conf. JO. JAC. RAMBACH *Instit. Hermeneut. S. L. II. c. VII. p. 285.* Praeuentem in hac expositione habemus D. HILARIUM qui *Lib. VIII. de Trinitate p. 138. edit. Froben.* in nostrum oraculum ita commentatur: *Namque quorum anima & cor unum omnium erat, quaero utrum per fidem Dei unum erat? Vtique per fidem: per eam enim anima vna & cor unum omnium erat. Et interrogo, utrum fides vna, an ne altera sit? vna certe, etiam ipso Apostolo autore: vnā fidem sicuti vnum Dominum,*

& unum baptisma, & unam spem, & unum Deum praedicante. Si ergo per fidem, id est, per unius fidei naturam unum omnes erant: quomodo non naturalem in his intelligis unitatem, qui per naturam unius fidei unum sunt? Omnes enim renati erant ad innocentiam, ad immortalitatem, ad cognitionem Dei, ad spem fidei. Et non possunt haec sibi esse diuersa, quia & spes una est, & Deus unus est, sicuti & Dominus unus est, & baptisma regenerationis unum est. Si haec assensu potius unum sunt quam natura: his quoque qui in haec renati sunt, unitatem voluntatis adscribe. Sin vero regenerati in unius vitae atque aeternitatis naturam sunt, per quod anima eorum & cor unum est: cessat in his assensus unitas, qui unum sunt in ejusdem regeneratione naturae. Disputat hic optimus Pictauorum Episcopus aduersus infensissimos S. Trinitatis hostes, qui verba Christi: Ego & Pater unum sumus, tentabant, ut ipse loquitur, ad vnanimitatis referre consensum, & hoc dictum nostrum definitioni suae aptabant. Ex genuino igitur hujus dicti sensu ipsos refellit, ostenditque, ne hic quidem solius assensus unitatem intelligi, sed unitatem, quam vocat naturalem, qua per unius fidei naturam unum omnes erant.

Quanto potentior jam est vis gratiae in conciliandis hominum animis quam naturae, tanto firmiter etiam erat, quo constringebantur fidelium animi, charitatis vinculum, tanto efficacius pacis & concordiae incitamentum. Agnoscebant omnes unum patrem Deum, unam matrem Ecclesiam, hinc ut fratres se complectebantur & sacro se excipiebant osculo. In memoriam sibi reuocabant, Ecclesiam esse domum viuientis Dei, hinc ut membra unius familiae conueniebant &, conditione licet impares, simul orabant, simul psallebant, simul verbum diuinum audiebant, simul sancte & frugaliter epulabantur. Vocati erant ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως αἰώνου, studebant igitur seruare unitatem spiritus in vinculo pacis. Vna erat omnium conspiratio, consimiles mores, sententiae haud discrepantes. Inmoto fidei omnes superstruebant fundamento, ad unam actiones suas componebant voluntatis diuinae normam, pari omnes pro gloria

gloria Dei & salute Ecclesiae exardescabant zelo. Nulla inter ipsos prava aemulatio, nulla simultas, nulla invidia, nulla obrectatio. Vitam viuebant non hujus sed futuri seculi & de communi spe sibi gratulabantur. Conf. JO. FRONTONIS *Epistola de Vita primorum Christianorum*, quae inter *Epistolas & Dissertationes ejus Ecclesiasticas a celeberrimo JO. ALB. FABRICIO* editas, primo loco comparet.

Erat haec plane sine exemplo concordia. Nescio igitur qua fronte FL. JOSEPHUS L. II. *contra Apionem* OO. T. II. p. 484. parem concordiam suae genti ausus fuerit vindicare? Postquam enim singularem illius in lege peritiam laudauerat, inquit: Τὸ πρῶτον ἀπάντων τὴν θυμαστὴν ὁμόνοιαν ἡμῖν ἐμπροσποίηκεν, τὸ γὰρ μίαν μὲν ἔχειν καὶ τὴν αὐτὴν δόξαν περὶ Θεῶ, τῷ βίῳ δὲ καὶ τοῖς ἔθεσι μηδὲν ἀλλήλων διαφέρειν, καλλίστην ἐν ἔθεσιν ἀνθρώπων συμφωνίαν ἀποτελεῖ. παρ' ἡμῖν γὰρ μόνους, ἕτε περὶ τῶ Θεῶ λόγους ἀκρίβειά τις ἀλλήλοις ὑπεναντίως, ὅποια πολλά παρ' ἑτέροις. Et paucis interjectis: Ἐδ' ἐν τοῖς ἐπιηδύμασι τῶν βίων ὄψει διαφορὰν, ἀλλὰ κοινὰ μὲν ἔργα πάντων παρ' ἡμῖν, εἰς δὲ ὁ λόγος ὁ τῷ νόμῳ συμφωνῶν περὶ Θεῶ, πάντα λέγων ἐκείνον ἐφορεῖν. καὶ μὴν περὶ τῶν κατὰ τὸν βίον ἐπιηδευμάτων, ὅτι θεῖ πάντα τὰ ἀγαθὰ τέλος ἔχειν τὴν εὐσέβειαν, καὶ γυναικῶν ἀκρίσειεν αὐτὴς καὶ τῶν δικεῖων. *Hic admirabilis inter nos animorum consensionis fons est praecipuus. Nam & idem omnes de Deo sentire & nullo vitae morumque dissidio laborare, id vero pulcherrimam & jucundissimam hominibus animorum studiorumque conjunctionem afferre solet. Enimvero, soli omnino sumus, apud quos neque discrepantes unquam de Deo sententias audies, quod apud alios frequentissimum est - - - nec ullum in vitae rationibus dissidium videbis. Inmo vero, cum summa quaedam apud nos omnium sit, operum functionumque communio, tum vox similiter eadem, & cum ipsa lege de Deo consentiens, quae omnia diuini oculi sapientia regi profitetur. Quin etiam quod ad vitae instituta spectat, ex ipsis quoque mulierculis ac mancipiis intelliges, nihil non ex caeteris ad unum religionis finem esse referendum. Ita quidem deuota*

ta Deo natio ex consilio diuino esse debebat, non autem reuera ita erat. Plurimi Judaeorum tunc temporis viuientium ab auita religione prorsus descuerant. Externa ceremoniarum obseruatio ipsis magis, quam internus veri Dei cultus erat ad palatum. Nihil habebant antiquius quam scindi in partes. Commemorat JOSEPHUS *Pharisaeorum, Essenorum & Sadducaeorum* sectas, sententiis, institutis, moribus inter se diuersissimas. Patres, JUSTINUS MARTYR, EUSEBIUS, EPIPHANIUS adhuc prolixiorem nobis exhibent haereticorum inter Judaeos catalogum. Allegant *Genistas, Meristas, Galilaeos, Hellenianos, Hemerobaptistas, Masbothaeos, Samaritanos, Herodianos*. PHILASTRIUS *de Haeresibus a cap. I. vsque ad XXVIII.* recenset illos, qui ante aduentum Christi haereseos arguuntur. Quosdam, fateor, non infeliciter ex haeresium albo deleuit, vel ad aliam classem retulit JACOB RHENFERDIUS *in Dissert. de Fictis Judaeorum Haeresibus, OO. Philol. p. 76. & p. 125.* Circa PHILASTRIUM quoque non pauca, candide & erudite monuit JO. ALB. FABRICIUS *in praefatione & notis ad Philastrium.* Id tamen negari non potest, *Herodianos* cumprimis & *Galilaeos* diuersas fuisse in republica factiones, quae multis turbis & seditionibus ansam dederunt. Conf. quae de *Juda Gaulonita* ejusque turbis & latrociniis etiam amicis & popularibus infestis, habet JOSEPHUS *L. XVIII. Antiquitt. cap. I. OO. T. I. p. 869. 870.* Concedimus, Judaeos sepositis tantisper intestinis dissidiis, junctis viribus in Christi & Christianorum exitium conspirasse; (quod etiam gentilibus solemne fuisse, obseruat Constantinus M. apud EUSEBIUM *L. II. de Vit. Constant. c. 71. p. 476. edit. Mogunt. 1672.*) largimur, sectas Judaicas se mutuo tolerasse; sed erat haec concordia tantum superficialia, externa & temporaria, qua non obstante, perpetuum inter ipsas manebat sententiarum diuortium.

Solidiora longe sunt, quae de *Συμφυξία* primorum Christianorum in Actis Apostolicis traduntur. Non solum enim fidem diuinam in nobis producit testimonium *Lucae* diuinum, sed

D

sed

sed etiam in aliis sacri voluminis locis haud obscura hujus animorum consensus deprehenduntur vestigia. Ecclesiae non ita multo post ab Apostolis plantatae veniebant quodammodo in hujus laudis confortium. Fides, ut omnium virtutum, ita & charitatis est radix & scaturigo. Jam vero fidem Romanorum per totum passim orbem celebrari, profitetur *Paulus*, *Rom. I. 8.* Spiritus quoque Sancti, qui est Spiritus Charitatis, Romanos participes factos esse, idem gentium Doctor testatur *Rom. VIII. 15. 16.* Corinthii, fatente Apostolo, nullo carebant charismate *1. Cor. I. 4. 5.* adeoque nec charitate, quae est χάρισμα ἢ καρπὸς τοῦ πνεύματος, *Gal. V. 22.* Galatarum studium in Doctorem, quod *Galat. IV. 14. 15.* laudatur, optima quaeque de illorum fraterno erga religionis socios animo sperare nos jubet. Fides Ephesiorum & amor erga omnes sanctos Paulum ad gratias Deo agendas incitabant, *Ephes. I. 15. 16.* Epaphras Colossensium in Spiritu charitatem de meliore nota Paulo commendabat, *Coloss. I. 8.* Thessalonicenses laudabantur ut Christi & Pauli imitatores, *1. Thess. I. 6.* hi vero maxime Charitatis exemplo ipsis praeluxerant. Vnitatem fidei Christianorum, per vniuersum fere orbem dispersorum, commendat IRENAEUS *lib. I. cap. X. p. 48. ex edit. RENATI MASSUETI* ἡ Ἐκκλησία, καίπερ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, παρὰ δὲ τῶν Ἀποστόλων, ἢ τῶν ἐκείνων μαθητῶν παραλαβῆσα τὴν εἰς ἓνα Θεὸν, πᾶσα παντοκράτορα - - - πῖσιν. ἢ εἰς ἓνα χριστὸν Ἰησοῦν κ. τ. λ. Refert hic singula fere Symboli Apostolici verba & pergit p. 49. Τοῦτο τὸ κήρυγμα παρεληφθῆσα, ἢ ταύτην τὴν πίσιν, ὡς προσέφαμεν, ἡ Ἐκκλησία, καίπερ ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ διεσπαρμένη, ἐπιμελῶς φυλάσσει, ὡς ἓνα οἶκον οἰκῆσα. καὶ ὁμοίως πιστεύει τέτοις, ὡς μίαν ψυχὴν ἢ τὴν αὐτὴν ἔχουσα καρδίαν, ἢ συμφώνως ταῦτα κηρύσσει, καὶ διδάσκει, καὶ παραδίδωσιν, ὡς ἐν ἑσώμα κεκλιμένη. *Acceptam hanc praedicationem, ac fidem, uti ante diximus, Ecclesia, tametsi per totum terrarum orbem sparsa, summo studio & cura, perinde atque unam domum incolens, conseruat, ac velut animam unam, atque unum idemque cor habens, his aequae fidem accommodat, & miro consensu, quasi uno ore praedita, haec praedicat, docet ac tradit.* Possem

sem

fem plura ex *Patribus*, maxime *Apostolicis* afferre testimonia, nisi hic otia mihi fecissent GUIL. CAUE *de Christianismo Primitiuo Parte III. cap. III.* GODOFR. ARNOLDUS, caute tamen legendus, in satis spisso de eodem argumento volumine, *Parte I. Libr. III. cap. III.* CORNELIUS ADAMI *Exercitation. Exeget. pag. 241. seqq.* Interim non diu felix hic Christianismi status duravit. Habuit jam suos Ecclesia Apostolica naeuos. Conf. JO. FR. BUDDEI *Ecclesia Apostolica cap. VII. §. II.* CAMPEGII VITRINGAE *Obs. S. L. IV. cap. IX.* Seculo secundo variis modis adulterari coepisse doctrinam Christi, discimus ex *Hegesippi* fragmento apud EUSEBIUM *Hist. Eccles. L. III. cap. XXXII. p. 104. edit. Mogunt. 1672.* De morum corruptelis grauer seculo tertio conquesti sunt CYPRIANUS *de Lapsis pag. 123. edit. Brem.* TERTULLIANUS, *de Pudicitia cap. I. & alias.*

Nunc vbi tempora, in quae Deus nos reseruauit, factiosorum hominum & malorum ingeniorum sunt feracissima, *Συμψυχίαν* numeris omnibus absolutam, quam triumphanti Ecclesiae reseruata esse nouimus, in militante ne frustra expectemus. Vt tamen sua religioni integritas, suos diuinis legibus vigor constet, omnem moueamus lapidem. Jurauimus omnes in vnus coelestis Magistri (Christum innuo) verba. Gloriamur omnes, nec immerito gloriamur, de sacris LUTHERI potissimum opera ad pristinam munditiam reductis. Vno igitur corde credamus, & vno velut ore doceamus, profiteamurque doctrinam ex puro DEI verbo petitam, Librisque Ecclesiae nostrae Symbolicis comprehensam. Denique vbi per aduersariorum varficiem nobis quietis amplius esse non licet, fortiter pro veritate propugnemus, eandemque, prout a maioribus accepimus, puram & illibatam ad posteros transmittamus. Praeparabuntur sic quoque simul hominum animi ad vitae sanctimoniam, quae sine veritate dari non potest. *Joh. XVII. 3. Qualis enim doctrina, talis notitia, talis inde oriunda fiducia, talis & vita. Haec enim ex fide, fides ex notitia, notitia e doctrina propullulat.*

Legis verba B. WERNSDORFFII, quae extant in aurea, ad
MART. CHLADENII *Theologiam Moralem, praefatione.*

Quod superest, abs TE, VIR SUMME VENERANDE, quibus possum, modis omnibus contendo, hoc scribendi genus per studium declarandae pietatis, pro humanitate TUA, interpreteris. Edisserant alii meritorum TUORUM, quibus Rempublicam Christianam illustras, magnitudinem. Ego vero prudens ab enarrandis laudibus TUIS mihi tempero. Incomparabiles enim animi TUI dotes, quas tot magni homines, tot PRINCIPES dudum suspexerunt & admirati sunt, suffragium meum non desiderant. Vereor, ne jam plura dixerim, quam modestia TUA admittit. Finio igitur voto: DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS, & hunc praesentem, quem nuper auspicati sumus, annum, & plures consequentes, felicissime TIBI decurrere jubeat: largiatur TIBI & Nobilissimae Stirpi TUAE, quicquid salutare est, prosperos rerum successus, valetudinem secundam, fortunam perpetuam: ingrauescentis senectutis TUAE incommoda diuino solatio temperet, vitaeque spatium ad seros vsque annos producat. Sic diu adhuc Orthodoxiae decus in Prussia, vel saltem in ciuitate nostra, Prussiae oculo, magna cum laude sustinebis. Scribeb. Gedani ad d. IV. Januarii

CIDICCCXXXVI.

